

ligni, qui pestilentes febres adferunt. Alij
 quoque tumores ex arterijs ruptis fiunt, &
maximè ex eis, quæ versus genua sitæ sunt: &
eos aneurismata Græci vocant. Hi autem
conspicui sunt ac rarefacti, atque tactum pul-
 fare percipiuntur, propterea quòd spirituoso
 sanguine pleni sunt: dolent etiam, nec tamen
calent. Alij etiam tumores ex ruptis venis
 apparent, qui molles percipiuntur, nec pul-
 sant, neque dolent, atque varices dicuntur, qui
 sèpius cruribus ac tibijs, quàm alijs mem-
 bris corporis, & præsertim prægnantium mu-
 lierum euenire solent. In ipsis item tibijs duæ
 tumorum differentiæ interduim oriuntur: quo-
 rum quidem cœdemata referunt: alij verò car-
 nosi sunt. Ambo utique hydropis initium præ-
 se ferunt: videlicet cœdematosi, leucophleg-
 matiam, & carnosi anasarcam. At qui cœdemato-
 si sunt, digito pressi cedunt, vestigiūmque
 sui relinquunt: Neque solum hydropis ini-
 tium, sed etiam phtisim & cachexiam indi-
 cant. Eueniunt quoque eis mulieribus, qua-
 rum menses intempestiue supprimuntur. Car-
 nosi verò duri sunt, nec digito pressi cedunt,
 quorum color à naturali parum diffat. Neque
 enim perinde albus est, atque cœdematosorū.
 Carnosis item partibus, vt musculis tumo-
 res contingunt, qui aut calidi, aut frigidi sunt.
 Calidorum autem tumorum quispiam ex san-

anurisma

varijo